

Jacob Fabricius

Rector Academiae Rostochiensis Jacobus Fabricius Med. D. & Professor ordinarius, Ad Exequias, Quas Viro ... Dn. Volrado von der Luhe/ Hereditario in Schulenberg/ Consiliario Megapolitano &c. Parenti suo desideratissimo, Liberi moestißimi, ad horam primam adornatas expetunt, Omnes omnium ordinum Academiae nostratis cives vocat & invitat

Rostochii: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770289967>

Druck Freier  Zugang



Fabricius, J.
in
V. v. d. Lvhe.

Rostock, 1632.

52



8. 46.
RECTOR

Academiae Rostochiensis

JACOBUS FABRICIUS
Med. D. & Professor ordi-
narius,

Ad Exequias,

Quas

Viro Generoso, Strenno & maximè nobili,

DN. VOLRADO

von der L. V. H. E.

Hereditario in Schulenberg / Con-
siliario Megapolitano &c. Parenti suo de-
sideratissimo,

*Liberi relictissimi, ad horam primam
adornatas experunt,*

Omnes omnium ordinum Academiae
nostratis cives vocat & invitat.



ROSTOCHII,

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXII.

RECTOR
Academiæ Rostochiensis
JACOBUS FABRICIUS
Medicinæ D. & Professor
ordinarius.



N primâ hac munda-
ni Systematis, omniumq;
viventium creatione, o-
mnipotens, & æternus De-
us, sapientissimo consilio,
acre quoddam ardentis &
ordinati amoris incendiû
Naturæ indidit, quo non solum omne omnium
animantium genus ingenita virtute, ad sui suo-
rumq; conservationem tendit, verum etiam
sui specie destructâ, ductu quodam spontaneo
& insito, summo mœrore ac luctu omnium
maximo cruciatur & vehementer percellitur.
Est etenim ita à Naturâ comparatum, ut singu-
laris insit pectoribus conjunctionis appetitus,
& mira sollicitudo ac cura expetendi illorum
salutem, qui vel ratione sanguinis, vel qua-
dam *συμπυθία* & familiaritate nobis chari vixe-
runt; quin & hinc etiâ exoritur, ut sicut vivis
debitam pietatem atq; officia præstitimus, non
aliter eosdem defunctos peculiari desiderio & ex-
opte-

optemus, ac vero & non simulato amore prosequamur. Et si autem principio omni animantium generi istiusmodi affectio à Naturâ tributa est: interest tamen inter hominem & reliqua animalia hoc vel maximè, quod hæc, quò Natura fert, ordinariâ quadam lege concitata rapiantur, ac parum admodum, quo consilio Natura istos motus ordinavit, sentiant, imò ne quidem causas rerum in Natura ordinarũ cognoscant. Homo verò cum rationis vim ex prima quasi origine divinitus sibi communicatam habeat, ratiocinando causas consilij divini colligit, & animo prospiciendo finem cernit, quò singula in Natura directã sint, & ad quam metam vergant: Intelligit itaq; virtute Rationis, Naturam hominẽ conciliasse homini, cum ad orationis, tum ad vitæ societatem, ipsiq; impressisse mirum quendam amorem, quo potissimũ erga eos, qui ex se, suãq; posteritate prognati sunt, flagret, ut hoc quasi naturali amoris vinculo, civilis hominum societas inter se conservaretur, nec ullis laboribus, curis ac vigilijs, quæ ad educationem atq; nutritionem sobolis requiruntur, fracta, ab hac Naturæ lege declinaret. Ab hujus causæ cogitatione, animus sese transferens ad illam æternam mentem, multo quoq; magis consilij divi-

ni causas inquirat & invenit. Sunt autē in Deo
omnium adfectuum summi gradus & supra om-
nem Naturæ legem : Ardet enim æternus
pater immenso ac inenarrabili amore erga
filium, imaginem suam, de suâ substantiâ ge-
nitum, & suavissimè in eo acquiescit. Rursus
æternus filius ineffabili & incredibili amoris
incendio æternum patrem complectitur : Ut
igitur de hoc suavissimo amoris igne, quo cor
æterni patris flagrat, admoneremur, infudit
etiam humanis pectoribus *σπλαγχνος*, easq; de suo a-
more erga filium, & erga genus humanū, cōmo-
nefactrices esse voluit. Quemadmodum autē in
ipso Deo hic adfectus omnium ardentissimus
est; ita quò Naturæ generosiores, quovè pro-
pius ad divinæ Naturæ societatem ac similitu-
dinem accedūt, eò *σπλαγχνος* & puriores sunt,
& acriores, objectorū, ratione amoris, lætitiæ ac
dolorum stimulos experiūtur: Nequidquam ergo du-
bitam⁹, quin generosi & Nobilissimi viri Dn. Volradi
von der Lube hereditarij in *Schulenberg* &c. relictī liberi,
omnes & singuli, ob dulcissimi parentis mortem in sum-
mo mœrore constituentur: Uti enim illum vivum ar-
dentissimo amore, & reverentia ac observantia debitā
fidelissimè complexi fuerunt, ita eundē nunc ex cōple-
xu suo & oculis abreptum intensissimo desiderio & lu-
ctu prosequuntur: verum cum illi abunde sciant, hac
lege nos vitam hanc ingressos esse, ut quando divinæ
volun-

volūtatī placuerit, rursus inde egrediamur, temperabūte
sibi, & nobis non monentibus inflīctum hoc vulnus
patienter ferent. Nos Deum rogabimus, ut spiritu so-
latiū adeſſe, & vires ac robur animi & corporis in-
dulgere velit, ne frangantur, aut præ doloris magni-
tudine succūbant. Cæterum cum & à nobis in hac publi-
cā exequiarum solemnitate, nostri erga defunctum a-
moris testimonium petatur, tralatitio & inveterato
more paucis vitæ & mortis historiam pertexemus.
Et primo quidem natus est anno Christi cō. D. LXV.
die quarto Martij, parentibus in hac provincia nobi-
lissimis & honestissimis, adeoq; viva virtutis simulacra
ex primâ Nativitatis origine feliciter traxit. Patrem
habuit Augustinum von der Lube/ hereditarium in Schu-
lenberg, virum militarem, qui in juventute suâ ali-
quot annis bellis Gallorum intestinis, similiterq; de-
inceps alijs laudabiliter interfuit, tandemq; domum re-
gressus in hac provincia inculpabilem se gessit, ut
quotquot eum vel in vitâ, vel famâ cognoverunt,
virum recti animi, & raræ integritatis, singularisq; can-
doris fuisse etiamnum testari queant. Mater fuit Levica,
ex vetusta & honorifica Preniorū huj⁹ Megalespoleos
familiâ profata, omnium matronalium virtutum laude
conspicua, quæ toto, quo marito supervixit, tempo-
re liberorum suorum relictis bonis solertissimè & dili-
gentissimè præfuit. Utrumq; genus, paternum simul
& maternum, commendatione proluxâ haut eget, ut po-
te fatis notum, in hac & vicinis Provincijs: ac leguntur
inter reliqua viri clarissimi Johannis Caselij opera
laudationes funebres duæ, familiæ Lubeorum destina-
tæ, in quarum alterâ magnum vetustatis istius argu-

mentū esse asserit, quod primi initij memoria nō exstet: Idem de maternā lineā iudicium esto. Chytræus tamen & publicè pro lectione, & scriptis ad Defunctum literis docuit, sibi ex antiquitatis documentis constare, Luhæos Megapolitanos, familiæ nobilium von der Lay/ quæ & hodiè ad Rhenum floret, suam debere originē, eosq; primitus von der Lay dictos fuisse, verum omnia mutantis temporis lapsu & duritiâ Idiomatis nostri Lay in Lube versum esse. Primus familiæ propagator cum Henrico Leone in has oras venit, & insignia, quibus nunc familia utitur, promeruit, eaq; penitus oblitteratis avitis, usurpavit tantū, & ad posteros continuatâ multorum annorum serie transmisit, solemnī fortassis istius seculi simplicitate vel errore, cum nova insignia rectius antiquis jungere debuisset. Quidquid sit, quod de immutato nomine Chytræus scripsit, non extra rem, aut omninò vanum esse vetustissima familię monumenta passim evincunt. Et possemus prolixum Genealogiæ hujus Catalogum, unde pro inveterato more nobilitatis antiquitas probari solet, contexere, verū cum faces funerales istarum familiarum insignia, harum rerum studiosis & curiosis animis exhibeant, nos istis recensendis in hac temporis ipsiusq; chartæ angustia supersede debimus.

Quāvis verò defuncti parens, homo Marti dedit^o primis ætatis suæ annis vixerit, studia nihilofecius & Musas amavit, & his suos filios dicavit, easq; noster defunctus non minus feliciter quam diligenter coluit. Prima autem literarum tyrocinia Rostochij fecit, ubi aliquot annos substitit clarissimi Caselij mensa, institutione, & intimiore consuetudine usus: Hinc Basileam concessit,

fit, & indè vicissim post anni integri moram, Pataviura
perrexit; hîc tam diu com moratus, donec Italicæ lin-
guæ cognitionem aliquam, ad tantò felicius reliquum
itineris cursum conficiendū apprimè necessariam, adi-
pisceretur: postea Florentiam, Senas, Genuam, Me-
diolanum, & quam primo loco nominare fas erat, Ro-
mam, & reliquas maximè celebriores Italiæ urbes, imo
universam Italiam peragrandò lustravit, & notanda ac
discèda summâ industriâ notavit ac didicit, suosq; in
usus laudatissimo exemplo flexit: Interea fratre, quem
in vivis unicum habebat, carissimo mortuo, Tutores
& cognati eum monere, rogare, urgere, ut ad suos redi-
re festinaret, non destiterunt, quorum sedulis moni-
tis & autoritate victus, domum reversus est, & in se a-
viti prædij administrationem suscepit: & cum cœlibem vitam a-
liquot abhinc annis, castam illam, sobriam & honestam vixisset,
demum animum ad conjugium adpulit, & anno ætatis trigesimo
octavo, vitæ & fortunarum sociam elegit nobilissimam & an-
tiquorum morum virginem, Mariam Haniam, Nobiliss. & inte-
gerrimi viri Eccardi Hanij, hæreditarij in Arnßberg & Solßow
filiam, cum quâ viginti annos concorditer & amantissimè vixit,
adèò ut illo toto tempore inter conjuges nullæ lites, rixæ, aut
jurgia, imò ne quidem verba acerbiora unquam fuerint audita:
ô felix conjugium, in quo nec Maritus denegati obsequij querelâ
instituire, nec uxor Deæ viriplacæ templum, quod olim Ro-
mæ cultum, ingredi opus habet; castitatem juventutis compen-
sari felici matrimonio non nemo dixit, defunctus noster ex-
pertus est. Ex hoc matrimonio procreati liberi novem, sex fi-
lij, tresq; filiæ, suntq; ante diem præmaturâ morte par filiorum,
& filia una extincti: Reliquos etiamnum supersites Deus porro
servare velit, quorum nomina tantum breviter exprimo, eorum
virtutes decantandas alij tempori & loco relinquens: Augusti-
nus, Eccardus, Johannes Christophorus, Adolphus Fridericus,
Anna Margareta viro equestri & nobili Georgio à Peccatel nupta,
ac Maria Elisabetha. Quamvis autè defunctus noster in avito præ-
dio vitam exigere, quam in aulla, interq; turbas versari præ-
verit,

optaverit, adeoq; oblatas condiciones, satis lautas, ac munera
aulica, quantum potuit, declinaverit, Illustriss. tamē & celsissimo
Principe ac Domino Dn. Adolpho Friderico, Duci Megapoli-
tanorum, Dn. nostro clemētiss. acrius instante, Consiliarij Came-
ralis munus suscepit, & sedecim annos integros solertissimē
gessit & fidelissimē, ita quidem, ut cum aurora quotidie surgeret,
suosq; labores alacriter aggredereetur: itādem verō paullatim de-
ficientibus viribus animi & corporis, & post mortem conjugis
carissimæ domesticis curis multiplicatis, etiam si Principis vo-
luntati, tamen sibimetipsi satisfacere se non posse veritus, rude
donari petijt & impetravit, inq; paterna rura, deinceps publicis,
imò mundanis rebus omnibus abstinēdi, & ad quietem se cōpo-
nendi deliberato animo, redijt. Verū quæ secuta sunt tēpora, spe-
ratam & optatam quietem illi inviderūt, ejusq; vota turbarunt.
Ac potest tota testari provincia, quam invitus & verē coactus
Duci Fridlandiæ inservierit, toto tempore hoc agens, ut quos
posset, consilio & auxilio juvaret, noceret nemini.

Sicut autem tranquillitatis in vitā studiosissimus fuit, al-
terationum & dissidiōrū osor acerrimus, ita vitæ clausulam pla-
cidissimam sortitus est, quam & prædixisse & veluti digito o-
stendisse nō semel auditus fuit. Ex quo enim jam aliquot annorū
decursijs imbecilliori valetudini, ac per intervalla nunc calculo,
nūc hypochōdriacis adfectionibus ac scorbuto subijceretur, sese
lubens & spē ante annum circiter ad fatalem terminum com-
posuit, eumq; subinde ingeminatis ad Christū humani generis
servatorē precib9, animosē expectavit, atq; 7. Septemb. anno
31. assecutus est: cui postremū ut exhibeamus honorē Christiana
flagitat Charitas & defuncti virtutes sibi jure postulant. Quare
nostræ jurisdictioni subiectos, ea qua par est, diligentia rogo &
invito, in solatium laudatissimæ familiæ frequentes in templo
Jacobæo ad horam primam meridiei hujus adesse ne recusent:
Inter eundem autem quisq; suæ mortalitatis memor, de simili &
beatā ex hac vitā emigratione cogitabit, simulq; provinciam
hanc, ejusq; incolas omnes & singulos, divinæ curæ ac prote-
ctioni commendet, ut pace terrenā beemur, & tandem cum signo
claro ex itatione nostrā avocamur, cœlestem thronum recto hila-
riq; vultu spectemus. P. P. Rostochij sub sigillo Magistratus A-
cademici 26. Aprilis Anno M. DC. XXXII.

fit, & indè vicissim post anni inte-
perrexit; hinc tam diu com mora-
guæ cognitionem aliquam, ad ta-
itineris cursum conficiendū app-
pisceretur: postea Florentiam, Se-
diolanum, & quam primo loco n-
mam, & reliquas maximè celebri-
universam Italiam peragrando lu-
discēda summâ industriâ notavit.
usus laudatissimo exemplo flexit:
in vivis unicum habebat, carissim-
& cognati eum monere, rogare, ur-
re festinaret, non destiterunt, qu-
tis & autoritate victus, domum r-
viti prædij administrationem suscepit: &
liquot abhinc annis, castam illam, sobria-
demum animum ad conjugium adpulis,
octavo, vitæ & fortunarum sociam ele-
tiquorum morum virginem, Mariam Ha-
gerrimi viri Eccardi Hanij, hæreditarij
filiam, cum quâ viginti annos concordite-
adedò ut illo toto tempore inter conjuges
jurgia, imò ne quidem verba acerbiora
ô felix conjugium, in quo nec Maritus de-
institueret, nec uxor Deæ viriplacæ tem-
mæ cultum, ingredi opus habet; castitate
fari felici matrimonio non nemo dixit
pertus est. Ex hoc matrimonio procrea-
lij, tresq; filix, suntq; ante diem præmati-
& filia una extincti: Reliquos etiam nun-
servare velit, quorum nomina tantum br-
virtutes decantandas alij tempori & loco
nus, Eccardus, Johannes Christophorus,
Anna Margareta viro equestri & nobili Ge-
ac Maria Elisabeta. Quamvis autē defun-
dio vitam exigere, quam in aulla, inter

Patavium
talicæ lin-
reliquum
riam, adi-
am, Me-
erat, Ro-
rbes, imo
otanda ac
suosq; in
re, quem
Tutores
uos redi-
is moni-
& in se a-
n vitam a-
n vixisset,
trigesimo
nam & an-
s. & inte-
& Soljom
imè vixit,
rixæ, aut
nt audita:
ij querelâ
olim Ro-
compen-
oster ex-
m, sex fi-
filiorum,
eus porro
o, eorum
Augusti-
ridericus,
el nupta,
vito præ-
rsari præ-
verit,

